

AD TE, BEATE IOSEPH

Ad te, beate Ioseph, in tribulatione nostra confugimus, atque, implorato Sponsæ tuæ sanctissimæ auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quæsumus, quæ te cum immaculata Virgine Dei Genetrice coniunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum Iesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad hereditatem, quam Iesus Christus acquisivit Sanguine suo, benignius respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras. Tuere, o Custos providentissime divinæ Familiæ, Iesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e cælo adesto; et sicut olim Puerum Iesum e summo eripuisti vitæ discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende: nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in cælis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Indulgentia partialis (Ench. Indul. n. 6).

ORATIO AD S. IOSEPH

Memorare, o purissime Sponse Virginis Mariæ, o dulcis Protector mi, sancte Ioseph, non esse auditum a sæculo, quemquam tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio, tibi que fervide me commendo. Noli, quæso, o Pater putative Redemptoris, verba mea despicerere, sed audi propitius. Amen.

LITANIÆ DE S. IOSEPH

Kýrie eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus,
Spíritus Sancte, Deus,
Sancta Trínitas, unus Deus,
Sancta María, ora pro nobis.
Sancte Ioseph,
Proles David ínclita,
Lumen Patriarcharum,
Dei Genetrícis sponse,
Custos pudíce Virginis,
Fílii Dei nutricie,
Christi defensor sédule,
Almæ Familiæ præses,
Ioseph iustissime,
Ioseph castissime,
Ioseph prudentissime,
Ioseph fortissime,
Ioseph obœdientissime,
Ioseph fidelissime,

Spéculum paciéntiæ,
Amátor paupertátis,
Exémplar opíficum,
Domésticæ vitæ decus,
Custos víginum,
Familiárum cólumen,
Solácium miserórum,
Spes ægrotántium
Patrónæ moriéntium,
Terror dáemonum,
Protéctor sanctæ Ecclesiæ,
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserere nobis.
V. Constituit eum dómimum domus suæ.
R. Et príncipem omnis possessiõnis suæ.

Orémus.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimæ Genetrícis Fílii tui sponsum elígere dignátus es, præsta, quæsumus, ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.